DE SACROSANCTA

ET INDIVIDUA

TRINITATE

ORATIO

QUAM HABUIT IN SACELLO PONTIFICIO VATICANO

Postridie Idus Junii Anno MDCCLXXVIII.

AD SANCTISSIMUM D. N.

PIUM SEXTUM.

COMES CAROLUS VALLEMANI

PATRITIUS FABRIANENSIS,

ET COLLEGII CLEMENTINI CONVICTOR.



ROMÆ M.DCC.LXXVIII.

EX TYPOGRAPHIA CHRACAS,

SUPERIORUM FACULTATE.

BEATISSIMO PATRI

AC DOMINO NOSTRO

PIO SEXTO

PONTIFICI MAXIMO.

CAROLUS VALLEMANI
FELICITATEM.

QVam nuperrime apud Te, Purpuratosque Senatus tui Patres de MYSTERIO TRINITATIS *habui, ea se tibi,* BEATISSIME PATER, *humillime sistit Oratio. Non enim obsequium illa suum cuiquam potius exhibendum putat, quam Pontifici vere Maximo, cujus sive spectetur Persona, quam refert, sive, qua pollet, auctoritas, sive denique sapientia, qua militantem Christi Ecclesiam gerit, aliquam procul dubio in se ipsa adumbrat* TRINITATIS *imaginem. Illud etiam accedit, quod, cum tantum Mysterium Theologicarum vir-*

virtutum actibus præcipue concelebrandum docuerit, tibi proinde sentit doctrinam suam probari maxime oportere, qui, cum Pastor Ecclesiæ sis, omnem Mysteriorum vim tum percipis, atque explicas per te ipse, cum traditum tibi Gregem ad eorum fructum capessendum exemplo tuo provocare nunquam desistis. Ad hanc autem de TRINITATIS *Mysterio suam declarandam sententiam hoc potissimum tempore adducta est, quo, licet Petri Fides incommutabilis omnino stet, Fides tamen Gregis per incredulorum cunicolos labefactatur; ut eadem in propria Divinitatis sede consistens, nullis posthac, aut sane inanibus inimici hominis machinis impetatur. Cujus toti consilii sui cum se tibi rationem reddidisse autumet, demum suppliciter abs te petit,* BEATISSIME PATER, *ut, qua soles, Clementia, se gremio tuo complectaris, ac foveas; tum suum etiam natale solum, quod tanti Pontificis obumbratur Numine, perpetua benevolentiæ oculo, & Apostolica prosequi Benedictione non dedigneris.*

ORA-



ORATIO.

CUM nihil certius, BEATISSIME PATER, nihil fidelius, nihil omnimode jucundius nobis obvenire poſſit Myſterio, in quo omnis divini Cultus ratio, ac tota Beatitudinis noſtræ ſumma conſiſtit; tum nihil profectò æquius nos ipſos præſtare oportet, quam ut illud ſtudioſiſſima Theologicarum, quas Scholæ vocant, virtutum exercitatione proſequamur. Non enim Ea nobis munera divinitus data ſunt, ut vel turpi agendi deſuetudine, atque ſocordia torpeſcerent, vel aliò potius vim ſuam, facultatemque converterent, quam quò ductu naturæ ſuæ, atque ex Largitoris conſilio ſpectare judicantur. Illud vero ex congruo hujuſmodi virtutum cultu maxime accedit commodi, ut tum

illæ plurimum per repetitos actus incrementi pondus suscipiant, cum animus suffultus Fide, Spe sublatus, inhærens Charitate Dei prorsus consortio, peregrinus licet a Patria, interesse sibi videatur. Quapropter si in omnibus recolendis Ortodoxæ Religionis Mysteriis, quibus nostræ Sacramenta salutis, quædam veluti Beatitudinis pignora, continentur, Theologicas virtutes bene, utiliterque insumptas putamus; quantò satius easdem nobis exercendas existimemus, cum ipsum Religionis Caput, & Fons, idem salutis sponsor, & dator, solusque effector Beatitudinis, Deus Unus, & Trinus, annuo præsertim solemni, Christiano populo effulget? Atque ego sic statuo, quemadmodum illa Superioris Naturæ bona ad vim Mysteriorum cognoscendam, fructumque percipiendum a Deo Optimo Maximo hominibus tributa credimus, nihil proinde commodi a Mysteriis in nos posse defluere, nisi insitas nobis Divina munificentia virtutes in eorundem perpensationem, cognitionemque conferamus: qui secus fecerit, dignum profecto esse, cui libere commissa dona, eadem e proprio delapsa fine, libero, justoque Omnipotentis judicio subtrahantur.

Quamquam autem Deo nos tuto fidere, quem oculis non cernimus, bene de Deo sperare, quem se se nobis promittentem auribus nequaquam audimus, Dei flagrare charitate, cujus simplex, atque infinita Natura concipi per sensus nullo modo potest, Christiana prorsus jubet Religio; in eo tamen nihil inconsiderate, nihil temere, nihil

hil violenter præscribit; quin immo in subsidium rationis certo Revelationis præeunte lumine, obductis errore mentibus diem potius affert, quam vim inferre videatur: ex quo fit, ut in omnibus ejusdem dogmatibus, institutisque retinendis *rationabile*, ut monet Apostolus, animorum nostrorum eluceat obsequium. Enim vero quommodo Deo Patri fidem denegemus, quem hæc spectabilis rerum Universitas, quem causarum, ut ajunt, secundarum se se invicem implicantium, atque ad necessarium quoddam, absolutumque Principium assurgentium nexus, quem, ut de cæteris taceam, admirabilis structura hominis, ejusque plane redundans Gratiæ, ac naturæ bonorum copia, tum maxime se ipsum revelans Deus, conditorem sapientissimum, munificentissimumque testantur? Neque profecto minor in eodem Patre nobis bene sperandi suppetit ratio, qui vel ab ipso rerum exordio, cum primum potestatis, consiliique sui divitias ostenderet, hominis integri felicitati peculiari modo prospexit. Cum enim cæteris omnino rebus Adam mente, animoque longe præstantiorem præfecerit, ex quibus, quidquid boni esset, ac commodi, in rem suam verteret sapienter, eoque ad bene, beateque vivendum uteretur; nihil est profecto, quod dubitemus, eandem in Deo maxime fideli, operumque suorum amantissimo erga nos voluntatem consistere, atque ita consistere, ut non fluxam illam, & mancam viatoris Adæ, utpote humano obnoxiam arbitrio, sed permanentem, atque absolu-

solutam, quæ propria Comprehensoris est, aliquando nobis beatitudinem sit daturus. Jam vero quo in Patrem amore ardere nos potissimum decet, sive quod summopere in se bonum cognoscimus, sive quòd ad imaginem, & similitudinem suam nos conformatos sentimus, sive denique, quod cum primum in illius mente constitimus, præstitutam nobis ab eo Beatitudinem novimus sempiternam? Quæ quidem singula tanti sunt, ut, si minus beneficii, quo Filii Dei nominamur, & sumus, ulla a nobis ratio haberetur, Dei tamen causa benevolentiam vel ab invitis exprimerent.

Cum autem perangusta mentium nostrarum facultas, illectaque cupiditatibus voluntas hominem natura sua sapientem, atque integrum, qui procul dubio ab artificis prodiisse dextera censendus est, a pristino dignitatis gradu delapsum esse confirment, quarum tamen alteram super indito quodam cœlesti lumine intendi, alteram validissima Gratiæ medicina curari, atque a vetito prohiberi in nobis ipsi experimur; nullus proinde subest dubitandi locus, eandem naturam nostram per mediatorem Dei, atque hominum Christum Jesum instauratam, ac præmunitam fuisse. Atqui hæc eadem conscientia Revelationis testimonio roborata Theologicarum a nobis virtutum eo ipso exercitationem requirit. Etenim quid est tam æquum, quam ut illi absolutum Fidei nostræ argumentum impertiamur, qui cum Verbum, & Sapientia sit Patris, tum solum justifica-

ca-

cationis nostræ auctorem, suoque obsignatorem sanguine recognoscimus? Quid vero accommodatius, quam ut eidem omnem animorum fiduciam devoveamus, ac commendemus, qui per viscera misericordiæ suæ, quam nobis Passione sua promeritus est, salutem, nostra simul adjuvante opera, iisdem nobis se largiturum promisit? Quid tandem officio humanitatis sic consentaneum, quam ut illum flagrantissimo præ cæteris studio prosequamur, quem tanta in nos antea æstuasse charitate compertum est, ut ipsam Dei formam obumbraverit sub forma servi, atque *in similitudinem carnis peccati* factus, (*a*) *de peccato* damnaverit *peccatum in carnem, ut justificatio legis* in nobis sua morte consecraretur; tum etiam supremo vitæ tempore Corpus, & Sanguinem suum novo quodam, & ineffabili Dilectionis cumulo Discipulis omnibus impertiverit, atque ita impertiverit, ut ad posteros quoque omnes incredibilis illa suæ divinitatis diffusio, & communicatio pertineret?

At enim si æquissima pariter, & utilissima erga Patrem, & Filium Theologicorum actuum nobis patet exercitatio; tum in Spiritum Sanctum eadem videtur etiam facillima. Cum enim ex operibus externis, quæ TRINITATI omni communia sunt, animorum curatio, Gratiarum scilicet per Charitatem singulis attributio, peculiari modo adjudicetur Paraclito; ipse profecto efficit, ut credamus, idem, ut speremus, unus ille, ut

Deum,

(*a*) *ad Rom.* 8. 3.

Deum, qua par est, benevolentia complectamur. Neque tamen inde fit, ut nostræ responsio operæ in eo existimetur inutilis, perinde vero supernaturalium virtutum Cultum uni Largitoris arbitrio, insciis propemodum, ac dormitantibus nobis, tribuendum putemus; sed quo magis illorum actuum exercitatione nobis opus esse cognoscimus, quòque magis per inhabitantem in nobis Spiritum blandimentis Gratiæ nos corripi, ac suaviter quaqua versus constringi, atque irretiri sentimus, eo studiosius, fidentiusque eundem Spiritum, dante illo poscendi copiam, hoc ipsum efflagitemus; oportet. Atque eo potiori jure Fidei, Spei, & Charitatis in Spiritum Sanctum exprimendæ nobis sunt vires, quòd nedum Revelationis oraculo hanc Tertiam edocemur Personam, sed in nobismet ipsis singulari quodam justificationis privilegio plane sentimus. Qui enim sub jugo Legis constituti saxea omnino corda, minis proinde, ac terroribus exercenda, ipsaque Omnipotentis manu concutienda gerebamus, iidem in Christi Regnum traducti eousque de priori duritie remisimus, ut supernæ dilectionis impulsui, inflexionique facile obtemperemus, nosque totos a blandissimo Gratiæ magisterio comprehendi læti lubentesque patiamur. Ex quo quidem cum Fides evincitur in Paraclitum, tum præcipue in eundem enutritur, ac sustentatur spes nostra. Etenim cum Christi Gratia eadem sit justificationis auctrix, ac custos, eademque una, si nos usque ad obitum prosequatur,

tur, sempiternæ effectrix beatitudinis; certa profecto datur sperandi causa, eum, qui ex solo misericordiæ consilio nos, prout opus fuerit, vel prævenire, vel comitari, vel consequi, atque inhærescere nobis Gratiæ præsidiis non dedignatur, eundem *opus suum* (*a*) *bonum*, nostram scilicet salutem, *usque in diem Christi Jesu*, nobis non demerentibus, perfecturum. Quid porro dicam de Charitate, qua nos cum Spiritu dilectionis teneri arctissime oportet, quam, obsecro, jucunda, quam potissimum debita, quam totis visceribus exoptanda! Novimus siquidem, qui Filii iræ, timoris, ac servitutis fuimus, eosdem nos libertatis, adoptionis, hæreditatis Filios nunc esse: qui peccati pressi Tyrannide duro Legis Imperio continebamur, in novitate modo spiritus, atque in oblectamento Gratiæ nos ambulare sentimus: illud vero conscientia constrictum prorsus tenemus, hæc omnia præstare unum, eundemque Spiritum dividentem (*b*) *singulis, prout Vult, secundum mensuram* (*c*) *Gratiæ donationis Christi*. Quare cum nos per divum Paraclitum diligamus, non ne illum in primis a nobis diligi oportebit, sine quo ne Beatitudinem quidem nostram diligeremus?

Attendamus igitur diligenter, quid nobis voce sua prædicet TRINITATIS Mysterium; quod cum se Theologicarum virtutum actibus concelebrari per nos potissimum velit, alacri proinde animo studeamus, ut, quæ nostræ instrumenta salutis Di-

(*a*) *ad Philip.* 1. 6. (*b*) *ex Ep. ad. Rom. cap.* 12. 11.
(*c*) *ad Ephes.* 4. 7.

Divinitus tributa ſunt, eadem in accommodatum ſibi finem collata a nobis, ſuo fideliter munere, quod noſtra Beatitudo eſt, perfungantur. Credamus porro in Patrem Creatorem, Credamus in Filium Redemptorem, Credamus in Spiritum vivificantem: noſtra ſit ſpes in Patre ſponſore Beatitudinis ſempiternæ, noſtra ſit ſpes in Filio ejuſdem reſtitutore, noſtra ſit ſpes in Spiritu Sancto uno ad eandem duce: Amemus Patrem tum ſummopere in ſe bonum, cum nobis ſuæ Largitorem imaginis, tum maxime præſtitutæ nobis Gloriæ effectorem, amemus Filium juſtificationis, ac ſalutis noſtræ amantiſſimum ſuo ſanguine coemptorem, amemus tandem Paraclitum ſanctæ auctorem dilectionis, eundemque aſſertorem fideliſſimum voluntatis. In id vero, utpote in præcipuum tanti Myſterii fructum, intendamus animo, ut, cum Patris integræ naturæ conſtitutoris conſilio per ammiſſam ſemel innocentiam defuerimus, Filii Reparatoris operi per pœnitentiam, Spiritus autem Sancti ad Deum nos ſuaviter attrahentis magiſterio per liberum, alacremque acceſſum reſpondeamus.